

Wiesbaden, Lippische
Gesamtlandesbibliothek

DG 2221



3440





SUPPLEMENTUM CORPORIS IGNATIANI

A

GIULIELMO CURETONO

EDITI

PUBLICI JURIS FACTUM

A

DR. GEORGIO MÖSINGER,

PROFESSORE FACULTATIS THEOLOGICAE SALISBURGENSIS.



GENIPONTI.

LIBRARIA ACADEMICA WAGNERIANA.

TYPIS WAGNERIANIS.

1872.

PARISII.

MAISONNEUVE & CIE.

ROMÆ.

J. SPITHÉFER.

LONDINI.

WILLIAMS & NORRAGE.



Descriptio opusculorum nunc primum editorum.

Sanctus Ignatius, episcopus Antiochiae et martyr, tanta floret apud omnes auctoritate, ut dubitandum non sit, nova literarum monumenta, quae de hoc Apostolico Patre tractant, multis fore pergrata.

Primum hujusmodi monumentum, quod in hoc libello offertur, integras sunt acta Syriaca martyrii s. Ignatii, quorum fragmenta Guilielmus Curetonus in opere „Corpus Ignatianum“ inscripto, pag. 222—225 anno 1849 publici juris fecerat. De codice, in quo haec acta inventa sunt, Curetonus in opere laudato p. 361 et 362 ipse dicit: „hoc fragmentum actorum martyrii s. Ignatii et epistolae ejus ad Romanos sumptum est ex manuscripto, quod in Oriente a Claudio Rich, legato Anglorum in urbe Bagdad, pro Musaeo Britanico aere comparatum est. Continet hic codex lacer et mutilus acta martyrum et vitas Sanctorum. Scriptus est in charta orientali characteribus Chaldaicis. In catalogo Musaei hic codex saeculo decimo tertio adscribitur, mihi vero antiquior videatur. Signatur: Bri. Mus. Add. M. S. 7200.“

Hanc versionem Syriacam sincerorum actorum martyrii s. Ignatii in opere Curetoni integrum non inveniri, maxime dolendum est, tum quia alia eorum versio in hoc idiomate non existit, tum quia initium tantum epistolae s. Ignatii ad Romanos, his actis insertae, in eo continetur. Quare dubitandum non est, omnes, qui antiquis religionis nostrae documentis delectantur, acta sincera martyrii s. Ignatii unacum epistola ejus

ad Romanos, in lingua Syriaca nunc primum integra proposita cum gaudio suscepturos esse.

Codex, in quo haec acta continentur, a Georgio Ebedjesu Khayyath, archiepiscopo Amadiensi, descriptus est in libro, cui inscriptio: „Syri Orientales, seu Chaldaeii Nestoriani et Romanorum pontificum Primatus.“¹⁾ In hoc libro doctissimus auctor p. 118, 122 et 129 certiores nos reddit, haec acta martyrii s. Ignatii extare in antiquo manuscripto Nestoriano, nunc ad coenobium Hormisdae pertinente, ex quo, se ipso operam qualemcumque praebente, jussu et sumptibus s. Congregationis de Propaganda Fide inter alia opera haec quoque acta descripta sunt. Hoc exemplar Romam delatum et Bibliothecae Borgianae sub numero XVIII insertum est, ex quo acta, quae nunc publici juris facio, describendi copia mihi facta est.

De indole hujus versionis hoc loco non dicemus, quum nova tantum monumenta literalia edere et explicare in consilio habeamus. Id tantum monemus, Syrum saepe summa cum licentia et nonnunquam magna cum ignorantia textum Graecum transtulisse; quare haud approbanda sunt, quae de consonantia textus originalis et hujus versionis Syriacae in laudato libro Reverendissimi Khayyath pag. 130 leguntur.

Alterum literarum monumentum, quod de epistolis s. Ignatii tractat, et nunc primum edendum curavi, in codice Arabicо Vaticano 101 reperitur, saeculo XIV. scripto, quem Jos. Assemani in Bib. Or. tom. I. pag. 624 sub XXXIII. uberioris describit. Continet hic codex versionem Arabicam epistolae, s. Ignatio adscriptae, quae a Curetono in Corpore Ignatiano pag. 257 Aethiopice edita est.

Eiusdem epistolae fragmentum reperitur in Cod. Vat. Arabicо 121 pag. 1, qui continet collectanea ex libro „confessionis s. Patrum Apostoli-

¹⁾ Romae, typis s. Congregationis de Propaganda Fide 1870, et Lipsiae apud Brockhaus. Hunc librum omnibus, qui doctrinam antiquae Ecclesiae Orientalis de infallibilitate Romanorum Pontificum nosse desiderant, magnopere commendamus,

corum et successorum eorum“, et scriptus est saeculo decimo sexto post Christum a Paulo quodam Coptita, ut in suo catalogo Card. Mai indicavit.

Aliud fragmentum inveni in Codice Vat. Ar. 178, teste Card. Mai anno post Christum 1371 scripto, in quo (p. 53) incipit „collectio ex verbis beatorum et justorum Patrum Clementis et sequentium“ inter quos s. Ignatius (pag. 97) testis citatur. Tertium hujus epistolae fragmentum legitur inter testimonia Patrum in Codice Vat. Ar. 651 pag. 8, qui saeculo decimo septimo a Card. Mai in catalogo adscribitur.

Lectiones horum codicis 101 diversas in annotationibus indicavi. Licet huic epistolae pauca tantum genuina s. Ignatii verba aspersa sint, quae post adnotaciones collecta reperies, Arabicam ejus versionem habere non displicebit, quae Aethiopicae ejus editioni explanandae saepe inservit.

Tertium opusculum, nunc primo editum, acta Latina sunt martyrii s. Ignatii quae Romae in Bibliotheca Vallicellensi in codice saeculi XIII., inter Latinos VI., pag. 216 a tergo leguntur et his incipiunt verbis: Passio sancti Ignatii martyris. Tempore, quo Trajanus Domitiani successit imperio etc.

Licet haec acta Latina permulta falsa veris mixta contineant et tum ex Rufini versione historiae Ecclesiasticae Eusebii, tum ex martyrologiis congesta sint, ut in annotatis comprobabitur, ea tamen publicanda censui, quia acta martyrii s. Ignatii ita consarcinata nunquam typis mandata sunt.

In fine paucos adjunxi locos variantes Graecorum actorum martyrii s. Ignatii, quos ex codice Graeco 132 regiae Bibliothecae Monacensis descripti. Hic codex, qui saeculo X in catalogo dictae Bibliothecae recte adscribitur, Menologium Graecum est, in quo p. 58 ad diem vicesimum Decembris acta Martyrii s. Ignatii, auctore Simeone Metaphraste, leguntur. Textum hujus codicis cum eo, qui in opere Petermanni: „s. Ignatii epistolae“ p. 472 editus est, contuli et locos variantes, qui majoris momenti videbantur, annotavi.

Haec sunt nova monumenta literaria, quae versione Latina et notis criticis illustrata Corpus Ignatianum Curetoni adaugent, ideoque „supplementum Corporis Ignatiani Curetoni“ haud immerito appellata censemur.

Haec adjumento sint viro eruditō, qui per novam et completam operum s. Ignatii editionem diuturnis theologorum desideriis satisfacturus est. Prae ceteris autem necessarium mihi videtur, novas scribere „vindicias Ignatianas“, quum per opera, post Pearsonum publicata, argumenta, quibus sinceritas septem s. Ignatii epistolarum et actorum martyrii ejus defendatur, copiose aucta sint, cui labori, Deo favente, in posterum operam studiumque navabo.

Interea vale, lector benevole!



I.

Translatio Latina actorum martyrii s. Ignatii
Syriacorum.

Sequitur historia beati Ignatii, episcopi urbis Antiochiae, qui martyrium
passus est diebus Trajani regis impii.

Quo tempore Trajanus rex principatum Romanorum suscepit,^{Cap. 1.} Ignatius, discipulus Joannis Apostoli Evangelistae, vir extitit, qui secundum omnia opera Apostolorum vivens procellas priores, quae ex multis persecutionibus diebus Domitiani ortae erant, laboriose sedavit et sicut gubernator bonus gubernaculo continuae orationis et jejunii assidui et per monita ad labores spirituales adversus impetus inimici restitit, timens et reformidans, ne quem timidorum et pusillanimum perderet. Licet autem de ecclesiae securitate et de brevi cessatione persecutionis laetaretur, angebatur tamen animo, ne a vero amore Christi, cui appropinquaret, deflecteret et a perfecto statu discipulorum excluderetur. Reputabat enim secum, quod testimonio martyrii, si id forte ipsi contingerebat, admodum appropinquaret Deo. Ideoque paucos annos fidelis persistens in ecclesia, sicut lucerna divina illuminans omnium corda per Scripturarum interpretationes, quae ei per orationem revelabatur, (voti compos factus est).

Trajanus vero post novem annos imperii sui quum propter ^{Cap. 2.} victoriam de Scythis et Dacis et aliis multis populis reportatam animo elatus putaret, se suo officio non satisfacere, et valde imperfectam esse suam victoriam, nisi subjugaret Christianos et populum timentem Deum, ita ut eos quoque cogeret daemones colere et cum omnibus hominibus hunc cultum gentium suscipere, minitans, se omnes sanctos vi-

adacturum esse, ut aut daemonibus sacrificarent, aut capitis damnarentur, et quum hac ratione eos vexaret: eodem tempore Ignatius de ecclesia Antiochenorum anxius, fortis autem pro Christo miles, sua sponte, non vi coactus, ad Trajanum venit, qui tunc temporis Antiochiae commorabatur et inde festinabat, ut adversus Armenos et Parthos descendeleret. Ut autem in conspectu Trajani stetit, dixit ad eum Trajanus: quis es tu, male daemon, qui tanta festinatione transgrederis mandatum meum et aliis etiam persuades, ut misere pereant? Sanctus Ignatius ei respondit: nemo appelle malum daemonem eum, qui est habitatio Dei; magno enim intervallo distant a servis Dei spiritus immundi malique daemons, quibus tu servis. Sin autem, quoniam molestus sum istis malignis et resisto immundis spiritibus, malum daemonem me vocas, ego quoque de hoc consentio; Christus enim rex coeleste mihi hospitium est, qui omnes eorum adinventiones dissolvit et irritas facit. Trajanus dicit ad eum: Quis est is, qui in se suscepit et portat Deum? Ignatius autem reposuit et dixit ad eum: is, cujus in corde Christus est. Dicit ei Trajanus: nos quod attinet, nonne existimas, deos esse in mente nostra, qui sunt adjutores nostri in proeliis? Ignatius autem ei respondit: daemons gentium vocas deos? tantopere erras? Unus enim est Deus, qui fecit haec omnia in coelo et in terra et in maribus et omnia, quae in eis sunt, et unus Jesus Christus, Filius ejus unicus, in cuius amore vivere desidero. Dicit ad eum Trajanus: de eo loqueris, qui crucifixus est coram Pontio Pilato? Dicit ei Ignatius: eum dico, qui crucifixit peccatum et inventorem ejus, eum dico, qui vicit malitiam daemonum eosque subjecit sub pedibus eorum, qui Christum portant in cordibus suis. Trajanus autem dicit ad eum: tu ergo induisti Christum et vestitus es eo? Ignatius dixit ad eum: sane; scriptum est enim: habitabo in eis et ambulabo in eis. Trajanus dixit: praecipimus, ut Ignatius, qui dicit: in omni loco in corde meo porto eum, qui crucifixus est, in vinculis et per manus Romanorum Romam magnam ibit, in qua cibus fiat bestiarum, et populus Romanorum de eo delectetur, videns quid ei accidat. Quam sententiam cum sanctus martyr audivisset, magno cum gaudio exclamavit et dixit: glorifico te Domine, quia dignum me fecisti amore tuo perfecto, et me dignatus es vinculis Apostoli tui Pauli et ligasti me catenis ferreis. Quum haec dixisset, magno cum gaudio vincula suscepit et prius pro ecclesia multis cum lacrimis oravit, Dominum suum imitatus eo quod sicut aries nobilis gregem suum pulcherrimum praeceudebat et a feritate et saevitia Romanorum rapiebatur, ut in cibum ferarum cruentarum Romam mitteretur.

Magna igitur alacritate et laetitia et cum desiderio patiendi ^{Cap. 3.} pro Crucifixo Antiochia descendit Seleuciam et inde mari pergere coepit. Et quum multo cum labore ad urbem Smyrnam appulisset, magno gaudio descendens de navi, ad sanctum Polycarpum episcopum Smyrnae se contulit, qui socius ipsius fuerat in disciplina Christi, quem videre desiderabat, quia quondam simul erant discipuli Apostoli Joannis. Cumque ad eum venisset et inter se communicasset in dono Spiritus et in vinculis quoque gaudentes, petiit ab eo, ut et ipse certamen suum et promptum animum suum adjuvaret, praesertim vero in omnibus ecclesiis, in quovis loco. Familiariter enim vir sanctus exceptus erat per episcopos et presbyteros et diaconos, qui erant in ecclesiis civitatum, qui frequentes venerunt ad eum, ut et ipsis pars et communicatio esset doni ejus, et ut digni fierent, ex spirituali dono ejus accipere, maxime autem s. Polycarpus. Beatus autem Ignatius desiderabat, ut cito per bestias migraret ex hoc mundo et ante faciem Christi appareret.

Talia copiose de amore Christi loquebatur extensis manibus, et ^{Cap. 4.} ea erat spes cordis sui, ut coelestia assequeretur per bonam confessionem et auxilio orationis eorum, qui pro agone et certamine ipsius preces fundebant, et magno fervore Deum deprecabatur, ut ecclesiis merces fieret, quae per praepositos suos obviam ipsi ierant et comitatum praebuerant, missis gratiarum actionis epistolis, quae communionem renovabant et orationibus spiritualibus exundabant, in gratia vero remissos arguebant.

Quum autem videret amorem omnium erga ipsum et instantiam per sacros ministros eorum ex amore Dei, formidans ac timens, ne ab unione et amore in Dominum deflecteret per sollicitudinem, quae a multis in eum ostendebatur, et a porta martyrii excluderetur, ad quam mittebatur, epistolam misit ad ecclesiam Romanorum, sicut in subsequentibus scripta est.

Epistola ad Romanos.

Ignatius, Deum indutus, ei quae magnificata est in magnitudine Excelsi et Jesu Christi, Filii ejus unigeniti, ecclesiae dilectae et illuminatae per voluntatem Dei, qui ligat et tenet omnia, et per amorem Jesu Christi Dei nostri, ei cui sedes prima est in regione Romae, dignae splendore ejus, dignae bonis et honore, dignae puritate, ei quae sedet in sede principali charitatis in lege Christi, in nomine Patris salutem dico et in nomine Filii, cui carnaliter et spiritualiter conjunctus sum, ego qui firme adhaereo mandatis Dei per gratiam et misericordiam ejus inseparabiliter, purificatus ab omnibus alienis, maxime per Jesum Christum Deum nostrum immaculatam salutem et gaudium vobis.

Cap. I.

Oravi et datum est mihi, ut viderem facies eorum, qui digni sunt Deo, quod ex multo tempore corporaliter assequi cupiebam. In Christo Jesu spero, fore ut veniam et vos salutem, si haec erit voluntas, et dignus habebor, ut usque ad finem haec sustineam. Sive enim initio sive in fine, per bonos mores, quibus incepi, desidero, ut usque ad finem hanc gratiam assequar, ut sine impedimento haereditatem meam accipiam. Timeo autem caritatem vestram, ne mihi noceat. Scio enim, vobis facile esse, ut omnia, quae volueritis faciatis, mihi autem difficile est, ut Deum inveniam, si vestra misericordia in me movetur.

Cap. II.

Obsecro autem vos, quia non cupio, ut hominibus placatis, vos autem eis placetis. Nec enim ego talem nanciscar opportunitatem, ad Deum perveniendo, neque vos, si quieti eritis opus tam praeclarum umquam consequemini, et majori solatio inde fruemini. Si enim siletis et receditis a me, verbum Dei ero; si autem corpus meum diligitis, ero iterum vox. Nolite ergo plus mihi praestare, quam hoc, ut Deo fiam sacrificium, donec altare paratum est, sed in coetu amoris mihi estote cantatores et glorificate Patrem per Jesum Christum, qui episcopum Syriae dignum fecit, ut in confessione Dei inveniretur in Occidente, in vinculis missus ab Oriente. Bonum autem est, occidere a mundo in Deo, ut ad finem in eo oriatur.

Cap. III.

Nunquam autem invidistis cuiquam, sed multos edocuistis. Volo autem, ut confirmetur id, quod docuistis et quod praecepistis. Tantummodo oro, ut vires a Deo pro me petatis, ut interius et exterius conforter, ne tantum verbis id exprimam, sed et voluntate teneam, ne tantum in verbis Christianus inveniar, sed et in operibus. Tunc licet mihi talem vocari et fidelem esse, quando mundo non apparebo; nihil enim, quod apparent, bonum est. Deus enim noster Jesus Christus, quem est in Patre, magis apparent. Non tantum vir desiderii, sed et magnitudinis est Christianus, si mundum oderit.

Cap. IV.

Ego enim scribo ecclesiis et praecipio et annuncio omnibus, quod libenter pro Deo morior. Vos itaque nolite mihi offensioni esse. Peto ergo, ne compatiamini mihi inaniter. Ne sitis mihi amatores vani. Sinite me, ut fiam (cibus) bestiarum, per quas Deum invenire possim. Fru-mentum enim Dei sum, ut dentibus bestiarum molar, ut panis purus Christi inveniar. Adulando ergo adulamini bestias, ut mihi fiant sepul-tores et non relinquant aliquid de corpore meo, ne, si obdormiero, aliis oneri fiam.

Tunc ero discipulus verus Christi, si nec corpus meum appetet in mundo. Deprecamini Christum pro me, ut per haec instrumenta inveniar hostia Deo. Non ut Petrus et Paulus praecipio vobis. Illi Apostoli fuerunt, ego autem condemnatus, illi liberi, ego usque nunc servus. Si vero patiar, ero libertus Jesu Christi, in quo resurgam liber. Nunc autem vincitus disco nihil concupiscere a Syria usque Romam.

Cap. V.

Pugna enim mea cum bestiis est, terra marique, noctu et interdiu. Alligatus enim sum decem leopardis, qui sunt turma militum, qui, cum benefacio eis, pejores fiunt. Per hos autem, qui laedunt et colaphizant me, magis erudior, sed non in hoc justificatus sum. Advocabo itaque bestias, quae mihi paratae sunt, haec enim est oratio mea, ut celeres mihi inveniantur in tempore suo. Blanditiis ergo eas incitabo, ut cito me doorent, et non, sicut quosdam veritae sunt et non tetigerunt. Si autem ipsae noluerint, ego eis vim faciam. Ne me reprehendatis, fratres scio, quid me adjuvet, nunc enim incipio discipulus esse et Christianus, quia non magnifico ea, quae videntur; in absconditis enim et in manfestis Jesu Christo dignus fieri desidero. Ignem enim et crucem et turbam bestiarum, et ut disperpar et dividar, et dispersionem ossium et abscissionem membrorum et perditionem totius corporis et omnia sup-plicia hostis in me ostendant, et solum Jesum Christum inveniam.

Cap. VI.

Nihil mihi (prosunt) termini hujus mundi, nec regnum ejus, neque principatus temporis hujus. Expedit mihi magis, ut cum Christo Jesu moriar, quam ut regnem super terminos terrae. Eum quaero, qui pro

nobis passus est et resurrexit. Dolores partus mihi instant. Ne me reprehendatis, fratres mei, et ne impediatis, quominus vivam, nolitis enim mortem meam. Eum qui Dei esse vult, ad mundum ne reducatis, neque me seducatis. Sinite me puram et veram lucem accipere. Illuc si abiero, homo ero. Sinete me imitatem esse passionis Dei mei. Qui est in membris Dei, novit, quid desidero, et tecum compatietur, quum noverit ea, quae me circumdant.

Cap. VII.

Princeps autem mundi vult me avellere a mente, qua Deo affixus sum, et vult me corumpere. Nemo igitur ex proximis meis adjuvet me inaniter, sed potius id, quod volo, nempe mortem meam, procuret; haec est enim voluntas Dei. Nolite portare in ore vestro Jesum Christum, mundum vero desiderare. Invidia vos ne invadat, et ne venienti quidem mihi et loquenti ad vos obsecundemini, sed magis credite eis, quae scribo. Vivens scribo vobis, desiderans mori. Amor meus crucifixus est, nec est in me ignis alienus, diligo enim aquas vivas et spirituales, quum intus in me Dominus sit, dicens ad me: veni ad Patrem.

Non dulcis mihi est cibus corruptionis nec delectationes hujus mundi. Panis Dei volo esse, qui est corpus Jesu Christi, quod est ex genere David, et bibere volo ex sanguine ejus, qui est amor incorruptus.

Cap. VIII.

Nolo amplius quasi secundum hominem vivere. Hoc mihi eveniet, si vos nolueritis me mori. Brevi epistola vos deprecor, ut mihi creditis. Jesus Christus autem (id) vobis revelabit — in veritate enim hoc dico — ore, quod non mentitur, in quo Pater locutus est. Orate pro me, ut eum inveniam. Non in carne, quae foris appetet, scripsi vobis, sed in voluntate Dei. Si igitur tormenta subiero, contigit mihi favor vester, si autem reprobatus fuero, odio me habuistis.

Cap. IX.

Mementote in oratione ecclesiae Syriae, cui pro me hodie pastor est Deus. Jesus Christus solus episcopus sit ei et amor vester. Ve-

recundia autem me tenet, unum ex eis appellari; non enim dignus sum, quia purgamentum sum discipulorum et corruptio eorum, sed misericordia erit in me, si Deum inveniam. Salutat vos spiritus amoris mei et ecclesiae, quae me receperunt propter nomen Jesu Christi, non ut transeuntem, nam et eae, ad quas nihil pertinebat de via mea in carne, in omni civitate mecum comitatae sunt.

Cap. X.

Scripsi autem vobis haec per Ephesios beatitudine dignos. Sunt autem mecum et alii multi, et Crescus, nomen desiderabile, mecum est. Mecum sunt et illi, qui comites mei fuerunt et deduxerunt me ex Syria versus Romanam ad honorem Dei, qui est initium et finis, et isti vobis noti sunt. Annunciate his fratribus vestris, quod et ego prope sum. Omnes enim sunt digni Deo, et oportet eos semper consolari. Scripsi autem hoc undecimo mensis Ab. Valete in finem et sit in vobis patientia Jesu Christi. Valete, gratia vobiscum. Amen.

Quum jam repugnantes fratres Romanos eo, quo voluerat, per epistola^{Cap. 5.} stolam perduxisset, Smyrna profectus est, (festinanter autem Romani Theophorum deduxerunt, ut praevenirent solemnitatem vanam Romanorum, in qua, populo Romano spectante, feris bestiis objiceretur et coronam iustitiae per hoc certamen acciperet) et inde venit Troadem et inde Neapolin et Philippos urbem et peragravit terra per Macedoniam et per eam Epiri partem, quae prope est ab Epidamno. Tunc in locis ad mare sitis invenit navem, in qua navigavit per Hadrianum (Adraticum), et cum ingressus esset mare Tyrrhenicum, insulas et urbes pertransiit. Quumque sancto viro apparuissent Putidi (Puteoli), egressurus erat, ut per vestigia Apostoli incederet. Quum vero ventus vehemens esset, nec navim impellere desineret, ut celeriter iret, beatos praedicavit dilectos fratres illius loci, et sic illam regionem mari pertransiit. Tam celeriter autem iter perfecit, ut uno die et una nocte ventis secundis nos inviti pergeremus, gementes et flentes, quod hic justus a nobis separandus esset, dum ipse orabat et festinabat, ut confestim ex hoc mundo egredieretur et Dominum, quem amabat, assequeretur. Quum autem ad portum Romanorum venissemus,

et finis immundi vanique spectaculi Romanorum instaret, illi de tarditate murmurarunt, at episcopus eis, qui celeriter eum abducebant, gaudens obtemperavit.

Cap. 6. Et primo mane venerunt ad locum, qui vocatur Potrus (Portus). Quumque fama de sancto martyre jam esset divulgata, obviam habuimus fratres repletos gaudio et timore, gaudio quidem de eis, quae hic vir Deum indutus in suo occursu ab eis petebat, timore vero, quod ad talem mortem ducebatur. Ipse autem multos quietos se gerere jussit, quos fervore plenos videbat, dicentes: sedabimus populum, ne petat necem justi. Cum itaque eos, qui talia cogitabant, per revelationem spiritus cognovisset, omnes ad se convocans deprecatus est per amorem veritatis et per plura verba, quam qnae miserat eis in epistola, et colloquendo eos monuit, ne invidenter festinanti, ut ad Dominum suum veniret. Quo facto flexis genibus coram omnibus fratribus Filium Dei imploravit pro ecclesiis ejus, et ut persecutio cessaret, atque de mutuo inter se amore eis praecepta dedit, et sic confestim animo prompto ad Amphitheatrum pergens statim introductus est secundum pristinum mandatum Caesaris, quia vana illa pompa spectaculi fini jam proxima erat. Fuit autem hoc vanum spectaculum sic dictum a Romanis „solemne“, et dies decimus tertius fuit hujus spectaculi, ad quod videndum studiose convenerant, sicque immanibus bestiis ab impiis hominibus objectus est, et illico desiderium s. Martyris Dei Ignatii implebatur, sicut scriptum est: „desiderium justi est acceptum“. Et ne cui fratrū molestia fieret in collectione reliquiarum ejus, sicut prius in epistola sua in desiderio finis vitae suae eis scripserat, ita et factum est, quia tantum ossa Sancti duriora remanserunt, quae Antiochiam mittebantur et in capsā reposita sunt, thesaurus inaestimabilis et pignus gratiae, et haec ejus donaria in aede sacra deposita sunt.

Cap. 7. Evenerunt vero haec decimo septimo Teschri posterioris, cum spectacula essent Romae, Consulibus Romanis Sura et Senecione iterum. Haec vidimus et multis lacrymis, in fletu, vigiliis et genuflexionibus orantes Dominum nostrum precati sumus, ut in infirmitate nostra de eis, quae facta erant, nos consolaretur. Et quum paululum dormissemus, subito vidimus eum nobis adstantem et nos complectentem. Quidam ex nobis viderunt beatum Ignatium pro nobis orantem, alii autem conspexerunt eum, quasi sudor de corpore ejus destillaret, et a multo labore veniret et accedens adstaret Domino in gaudio magno. Quae cum conspexissent et ea, qnae in somniis suis viderant, contulissent, Deum datorem

bonorum cantibus celebrantes, glorificaverunt sanctum et martyrem Dei Ignatium. Indicavi itaque vobis et diem et tempus, quo martyrium ejus consummatum est, quo tempore communicetis cum martyre, qui per desiderium amoris Christi caput serpentis contrivit et cursum suum consumavit in Jesu Christo Domino nostro, cui et per quem Deo Patri gloria et honor et potestas cum Spiritu sancto in saecula saeculorum. Amen.

Finem habet martyrium s. Domini Ignatii episcopi Antiochiae, et Deo gloria.



II.

Translatio Latina epistolae Arabicae s. Ignatii.

Et dixit Ignatius, archiepiscopus Antiochiae, tertius post Petrum principem Apostolorum, quod sumptum est ex epistola ejus.

Deus conditor omnium rerum creatarum, qui superat ordinem naturae, Trinitas est super thronum suum, et habitavit tota plenitudo ejus in visceribus Virginis et singularitas divinitatis, de qua loquimur hoc loco, quae est in Filio; non autem reliquae personae. Ille in cruce pendens remittit peccata, ille in sepulchro, et resuscitat mortuos, ille extra sepulchrum, et relinquit in eo vestes, ille intrat ad discipulos januis clausis, et dat eis pacem. Ergo Pater in Filio, et Filius in Patre, et Spiritus sanctus—Trinitas aequalis, inseparabilis, immutabilis, tres personae, divinitas una, majestas una, substantia una, potestas una, regnum unum, adoratio una, glorificatio una, laus una debetur Trinitati in una gloria. Unum Consilium, unum imperium, una potentia, una fortitudo, unus cogitatus, una voluntas in sancta Trinitate. Pater est Pater, et non est Filius, et Filius est Filius, et non est Pater, et Spiritus sanctus est Spiritus sanctus, et non convertitur in Patrem suum et in Filium suum. Sed haec Trinitas perfecta est super thronum gloriae suae, quae conjungitur unitate deitatis unius, quae est lumen unum, ortum ex Trinitate, quod implet totam creaturam, (et) hae (tres divinae personae) illuminant id, quod infra terram est, sicut scriptum est: „ecce ego impleo coelum et terram, et quae infra in inferno sunt, viderunt gloriam meam“. Et tu, qui dicis divinitatem passibilem et mortalem, (scias quod) nos credimus Christum Deum esse passibilem in corpore ut hominem, et impassibilem

ut Deum, et eum gustasse mortem in corpore, quum sit immortalis ut Deus. Si audis, Deum pro nobis passum esse, et Deum Verbum propter nos mortuum esse, intellige, nos jungere naturas in unitate deitatis et humanitatis, et nominare eam hoc nomine uno, quod convenit deitati, si-
cut tu quoque ex duabus naturis animae et corporis nominaris hoc uno nomine, quod homini convenit. Et anima tua immortalis est ex natura sua, et quamvis non est deitas, tamen est sine corpore. Et digni-
tatem, quam placet attribuere animabus nostris, scilicet immortalitatem, quomodo non placet attribuere eam divinitati uni in Trinitate, illi, quae est in unico Filio Domino nostro Iesu Christo?

Nonne scis, si dixeris deitatem mortuam esse, te Trinitatem occi-
dere et corpus Domini in sepulchro factum esse plane sicut cadaver, quia substantia una est in Trinitate, quae est divinitas una? Jam ubi nunc is, qui mortem devicit et infernum captivum duxit? Tu eum facis im-
potentem unacum mortuis et sine motu. Quin potius invenies alios inter Theomachos, i. e. Dei obtrectatores, qui ita credunt de corpore, quod Deus sibi aedificavit ex sanguine et carne Virginis — cuius, ut scimus, ipse est creator — et dicunt de eo, quod corpus sit sine anima, et di-
cunt divitatem esse animam ejus. Vide ergo, egressa divitiae mor-
tuum est corpus omnino. Erubescat igitur, qui ita dicit et ita incredulus est, et audiat Dominum dicentem: tristis est anima mea usque ad mor-
tem. De qua re, o Domine? De populo, qui perit.

Ex epistola decima tertia s. Ignatii archiepiscopi Antiochiae.

Vere natus est Christus, vere edit et babit, vere crucifixus, vere passus, vere sepultus est et resurrexit a mortuis. Qui hoc credit, hic est beatus, et qui hoc negat, a vita beata alienus est, quam nos speramus. Et qui dividunt unum Christum in duas naturas post unionem, hi annu-
merabuntur cum interfectoribus Dei Judaeis, qui in injustitia dixerunt: non propter opus bonum lapidamus te, sed propter blasphemiam, quia, homo quum sis, facis te ipsum Deum. Et erunt simul cum illis, qui cogitant, infirmitatem esse in Filio Dei Verbo, et qui duas naturas profitentur.

III.

Acta martyrii s. Ignatii Latina hucusque inedita.

Passio s. Ignatii Martyris.

Tempore, quo Trajanus Domitianus successit imperio, maximae persecutionis pondus urgebat ecclesiam, et tam immensae catervae martyrum quotidie jugulabantur, ut Plinius secundus, qui tunc Syiae provinciam administrabat, multitudine peremptorum permotus scriptis notificaret imperatori, quod innumera hominum milia quotidie obtruncarentur, in quibus nihil omnino sceleris deprehenderetur admissum, aut aliquid contrarium Romanis legibus gestum, nisi hoc solum, quod antelucanos hymnos Christo cuidam canerent Deo, adulteria vel cetera hujusmodi crimina apud eos illicita haberi et penitus arceri, cetera vero secundum leges eos agere communes. Tunc Trajanus rescripti sui auctoritate decrevit, ut Christian quidem non requirerentur, tamen si indicarentur¹⁾, punirentur. Hoc itaque tempore famae maximae celebritate vulgatus Ignatius apud Antiochiam post Petrum Apostolum secunda successione episcopatum sortitus, gubernavit ecclesiam, qui, dum pro Christi nomine captus a persecutoribus fuisse condemnatus ad bestias, vincetus²⁾ ad urbem Romam sub militari custodia mittitur. Dumque per Asiam sub custodia navigaret, singulas quasqne digrediens civitates, ecclesiae populos evangelicis cohortationibus edocebat in fide persistere et observare se ab haereticorum contagiosis, qui tunc primum copiosius cooperant pullulare, et diligentius atque tenacius³⁾ Apostolorum traditionibus inhaerere. Quum autem Smyrnam venisset, ubi Policarpus Johannis evangelistae erat discipulus, scribit inde unam epistolam ad Ephesios eorumque pastorem, aliam Magnesiae civitati, quae supra Meandrum iacet, sed et ecclesiae, quae est Trallis⁴⁾. Inde

